ris, conclude eos de Deo sermonem facere, qui etiam sæpissime Deum nomine effectuum, seu rerum creatarum nuncuparunt, vt ex vno Orpheo probare possumus, quem de Ioue ita loquentem inducunt, licet eos versus neque in Argonauticis, neque in hymnis repererim:

Orpheus. Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀστεροπητής,
Ζεὺς κεφαλὴ Ζεύς, Ζεὺς μέσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται,
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔμπλετο νύμφη,
Ζεὺς πνοιὴ πάντων, Ζεὺς ἄκαμάτου πυρὸς ὁρμή,
Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη,
Ζεὺς βασιλεύς, Ζεὺς αὐτὸς ἄπαντων ἀρχικέραυνος,
Πάντας γὰρ κρύψας, αὖθις φάος εἰς πολύγηθες
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενείκατο μήμασιν εἴδων. id est.

Iupiter est fundamentum terræ, & cœli stellati. Iupiter mas est, & immortalis nympha. Iupiter Spiritus omnium, & ignis indefessi impetus. Iupiter maris radix, sol & luna. Iupiter est rex, & dux omnium, generationis principium; cùm enim omnes occultarit, rursum in lumen gratum ex sacro corde extulit; miranda patrans. Sed ad Ouidium pedem refero, qui per meliorem naturam illum intelligit, in quo creaturæ melius, & præstantius esse, quàm in seipsis habent, cùm in eo eminenter contineantur.

Ouidius explicatur.

Sic vbi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit,
Principio terram, ne non equalis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis
Iussit, & ambitæ circundare littora terræ.
Addidit & fontes, & stagna immensa, lacusque,
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis:
Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsa,
In mare perveniunt partim: campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant.
Iussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.

Vides ergo, detestande Athee, vides quem Geopiticum, atque hydrographum tibi depingat Ouidius, quicquid sub fabula id dictum fuisse nonnulli censeant; vt etiam aduersarios nostros veritati ferre testimonium Spiritussanctus tametsi forsitan minimè cogitantes voluerit. Verùm poëtis, Philosophisque relictis, & authoritate neglecta placet ratione, & experientia aduersus Atheos decertare, ita tamen vt Geographia, & Hydrographia tametsi hactenus mutæ pro Deo suo deinceps verba faciant. Te verò Geographiam interrogo, cur terra, quam pro obiecto suscepisti, sui partes aliquas tam altè subleuat, vt omnibus fluuiis, & toto oceano sit altior. Vt patet in monte Caucaso inter mare Euxinum, & Caspium supra Cholchidem, & Iberiam regiones sito, vbi fere 47 gradus polus noster eleuatur: etenim, si credimus Aristoteli meteor. 1. ab illo Euxini loco, qui profunda vocatur (quia fundus ibi minimè reperitur) & à nauigantibus in stagnum Meotidem mons ille videtur, licet ab eis saltem 560 milliaribus distet: montes alios omitto, inter quos Libanum altissimum existimo, de quo fusè ad Genesis 13. caput versic. 15. agemus. Ipsa verò Geographia respondeat.

Caucasus vbi sit, & à quãto spatio videatur.

Profunda quid apud Aristotelẽ.

Libanus.

Geographia loquẽs inducitur, vt Deũ esse probet.

Libentissimè fateor terram pro obiecto mihi datam esse, nec enim mihi meum obiectum fabricare potui, minimè siquidem absque meo scibili scientia forem, ideóque summas ago gratias ei, qui terram mihi tribuit. Et quidem video tellurem hac illac detectam esse, & in altissimos montium vertices effórmari; quod cùm sit contra, vel præter eius naturam, non est quod respondere possim, nisi dixero eundem, qui mihi terram assignauit, in his, & illis partibus meum orbem aridum effeciſſe, vt in eo homines degerent, atque ipsi meo, suóque factori deseruirent: montes etiam subleuasse ad eorundem hominum vtilitatem, atque delectationem, vt tanta rerum omnium varietate magis recrearentur. Hinc verò colligo, rerum omnium autori dispositionem illam acceptam ferri debere: alioquin enim nullum violentum tamdiu durabile esse solet; Vnde meum obiectum penitus ab aquis operturum iri spero, nisi vel homines artificiosis aggeribus vel angeli, aut ipsemet autor naturæ id impediant: neque tamen scio, quo tempore, quóue sæculo terra mea tota circundari poterit, atque suæ pristinæ formæ suóque loco primigenio restituetur, quin potiùs mihi persuadeo priùs mundum ignis incendio finem accepturum, quàm vt illud accidat. Ideóque malo cunctis mortalibus illas diuitias exhibere, quas liberali manu mihi meus autor concessit, vt Athei facilè reuincantur, me Deum habere, qui omnia fecerit, & terram suis limitibus constituerit, qui ei figuram nõ sphæricam, quæ vbique ὁμαλὴ, sed tamen σφαιροειδὴς indidit, vt mille experientiæ probant, quantumcúnque rumpantur Leucippus, cui πυμπαπροειδὴς, Heraclitus, cui σκαφοειδὴς, Anaximander, cui κυλινδροειδὴς, Democritus cui κοῖλος, Empedocles, & Anaximenes, quibus ὁμαλὸς, & cæteri, quibus vel πυραμοειδὴς, vel κυβοειδὴς erat.

Variæ figuræ, quas antiqui terræ assignarũt.

Contemplare obsecro meam Europam, in qua præ cæteris mundi partibus maximè recreor, ob Iaphetum Noëmi primogenitum, cui distributa fuit, vnde eam nonnulli Iaphetiam appellant, sicut alij Tyriam, & Celticam; ob celebratissima virorum excellentium scripta, atque monimenta: ob victorias ab omnibus gentibus reportatas: ob incolarum virtutes, mores, diligentiam, & præsignem cœli, solique temperiem.

Europæ nomina.

Vis peculiares illius terminos, atque partes tibi referam? vt æterni numinis potentiam, atque prouidentiam agnoscas? vis φυσικῶς, prout sese partes offerunt? vis ἐθνικῶς, iuxta linguas & habitationes? vis πολιτικῶς, seu πατρικῶς iuxta principum, voluntatem, atque iurisdictionem meam Europam distribuam? an mauis, vt illam tuis oculis subijciam, prout sese ante diluuium habebat? an prout in sortem Iaphet postea cecidit? an iuxta Ptolemæi methodum? an iuxta neotericos? Quod si iuxta populos malueris, qui potissimum in ea vigent, accingor.

15. Modi quibus & Europa, & totus orbis diuidi potest.

Si iuxta cœli cardines, atque mores; si iuxta planetarum dominia, atque virtutes, vt Bordinus in historiæ legendæ methodo; si iuxta Zonas in globo notatas; si secundum climata, atque dierum, noctiúmque varietatem; si iuxta circulos verticales, seu meridianos, & parallelos, seu longitudinem, atque latitudinem; si iuxta ventorum diuersitatem; si iuxta firmamenti asterismos, qui diuersis Europæ nostræ partibus dominari vulgò dicuntur; vel si quouis alio modo, me paratissimam exhibeo, atque mihi persuadeo nullam esse diuisionem, quæ te, miser Athee, non cogat Deum admittere, qui hæc omnia fecerit, aut ingenium mihi, meisque discipulis indiderit, quo nonnullas ex istis diuisionibus excogitatem.

Termini Europæ eſferuntur.

Quis autem à Septentrione, & Occidente posuit